

Оссолінські колекції.

CD – диск виконано в рамках угоди укладеної з квітня 2004 р. між Львівською науковою бібліотекою НАН України у Львові і Національним Закладом ім. Оссолінських у Вроцлаві.

Lwowska Naukowa Biblioteka im. W. Stefanyka NAN Ukrainy. Oddział Rękopisów.

Zespół (fond) 4.

Zbiór rękopisów Biblioteki Baworowskich

Dział (opys) 1

960. Compendium iudiciorum re qui Polonia generosi quondam Joannis Laszinski (Łączyński)...
per Danielelem Fornai e polono in latinum translatum (z końca XVIII w.).

STRONY NIEZAPISANE NIE ZOSTAŁY ZDIGITALIZOWANE

ЛЬВІВСЬКА НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ім.
В. СТЕФАНИКА НАН УКРАЇНИ

ВІДДІЛ РУКОПИСІВ

ФОНД

4 (Бав.)

ОПИС

1

ОД. ЗБ.

960

Zandke. Warszawa

1807.

E 20 960

VIII 427

COMPENDIUM
IUDICIORUM REGNI POLONIAE

Penerosi quoddam
Joannis Lazinski
Burgrabii Cracoviensis.
Terrestri's Præmisiensis Cracoviensis Notarii nec non
Sæ. Ræ. M^{ajestatis} Secretarii

^{per}
Danielem Fornai
è polonico in latinum translata.

1: exstat in Bibliothecâ Gymnasii hinc M^{agistri}, et quidem in Theca
Nimsgartiana no. 361. in Folio. Quod, ut proprio aliorumq;
usû inferiret, descripsit Andreas Schott 1757. d. 1. Novembr.:
In ultimo hujus scripti dimidio fere non omnibus lineis errores
calami obvenerunt, quorum plurimi quidem emendati, ut omnes
emendari tamen possint, collatio cum alio M^{agistro} optimum suppe-
ditabit medium.

Quoad Autorem observo, illum in quodam Catalogo librorum Cz-
czynski nominari, quo nomine etiam in Niesiecki insigni-
tur.

PARS I.

De
FORMA DECREE:
FORM.

Quemadmodum Citati dupliciter in Iudicio se defendunt, ita contra eos duplicia quoque Decreta feruntur, vel in accessorio, vel in negotio principali.

In accessorio, cum Citato Exceptiones aliqua abjudicantur, conclusio earum prima esse solet: Procede, deinde Responde, postremo Directè Responde: quibus latis jam Litem contestari cogitur. Solent quandoque in accessoriis adversus actorem Decreta pronuntiarī, scilicet cum illi amputatur dilatio aliqua, vel iniquum petitur, sed diversa ratione. Demandatur 1.) Actori, ut causam prosequatur, nec perinde Citato adimuntur commemorati tres Gradus Decretorum, et omnium suarum Exceptionum allegatio. Quā Sententiā lata ubi Actor ad rem accedere noluerit amputata jam 2^o sua affectatione, admittitur Citato ulterior Processus, Actorem tergiversantem in evasione condemnare. In Principali de Jure nostro in duabus questionibus potissimum Partes controversant, vel in Conjecturali, an sit factum? vel in qualitate, an sit Jure factum? De his agetur inferius, examinatis prius

Ac:

2. Accessorius. Tertia questio definitionis raro occurrit, vel certe per declinatoriam Fori absolvi consuevit. ex. gr. an criminalis civilisve Causa sit? an Curialis vel Comitialis Tribunalisve? Num terrestris vel Castrensis?

De
ACCESSORIIS.

Citati volentes subterfugere Justificationem sui, communiter in ingressu Litis super negotio principali controversate, hoc est, litem contestari non solent, sed quaerunt diffugia, quandoque aequitati consentanea et juridica, quandoque speciem tantum pra se ferentia, quibus et Partis Instantiam et iudicis Sententiam eludere intendunt. Haec vocantur Exceptiones, quas illi ex sequentibus novem fontibus, tanquam locis communibus hauriunt; de quibus speciatim docebitur.

Numerus et Ordo Exceptionum, super quibus in Accessorio Decreta feruntur.

Contra I. Terminum, II. Positionem Citationis, III. Iudicium vel Iudicem, IV. Personam Actoris, V. Personam Rej, VI. Formam Citationis ratione Processus, VII. Fatalium et Evasionis, VIII. Prescriptionis, IX. Dilationis.

Accessoriorum quaedam sunt simplicia, quaedam peremptoria. Simplicia tantum Termini perditionem, vel a Citationem liberationem important, ut scilicet ratione termini

3.

termini Positionis, et Formae Citationis. Peremptoria ra-
tione Competentiae Iudicis, Actoris, Citati, Fatalium et
Evafionis, Praescriptionis et magna ex parte dilationis.

De
TERMINO.

Fit cognitio, num Terminus sit nec ne? Si non est; in cau-
sa solet esse, vel quod praefixa dies praeterlapsa non sit. In
Iudicio enim S. R. M^{is} prima die sicut alibi non currunt
condemnationes; iuxta illud dictum: prima dies currit; vel
quod non sit subsecuta adcitatio post mortem alterius par-
tis, vel quod post alterius Actoris Cessione Cause et Juris
sui, factum idem non sit observatum. In Iudicio enim S. R.
M^{is}, nescio utrum in aliis accidat, adcitare post translapsum
terminum necesse est, propterea quod continuis limitatio-
nibus termini prorogari soleant. Si Terminus est, produci-
tur 1. Literali Citatione, 2. Verbali Querela, 3. Termino
Curiali, 4. Sponsione fidei, 5. Detentione in recenti Cri-
mine, 6. Conservatione Decreti prioris et Processus, 7. Li-
mitatione, 8. Arresto.

Prima deductio Termini, illa quae ex Citationibus proma-
nat, praeter reliquis est frequentior. Secundo ex simplici Que-
rela provenit Terminus, aut utriusque, Autlicis officialibus,
aut Servis S. R. M^{is}, aut Civibus, Villanis cum eorum Te-
nutariis, qui, si in Aula praesentes sint, non possunt hoc in
passu

4. passou provocare tanquam Servi Regi ad Processum ordinari-
um. Tertio Curialis ratione Excessus, coram Judicio vel in
Aula commissi, vel coram Dn. Assessores, vel Officio Ma-
reschalci, a quo et quandoq; devolvuntur causa pro decisio-
ne ad S. R. Mte. In Tribunali talem Terminum vocant
Tactum. Quarto obstrictus Sponsione Fidei in causa Rei
publ: et Bellica Expeditionis, generaliter cum quavis per-
sona, specialiter cum S. R. Mte terminum habet. Quinto
deducitur Terminus vel ex detentione in recenti Crimine de-
tento, videlicet Homicidii, Furti, Spolii, Depravationis Stra-
te, Oppressionis Foeminarum, Adulteri, manifesti Falssi,
et aliorum enormium Criminum. Sexto ex conservatione
Termini, quod fit per adjudicationem Juramenti, aut delati-
onis, aut aliorum judicialium graduum; quibus ante omnia
satisfaciendum est, non descendendo in ulteriores, extra hasce,
Controversias, vel ex Remissione ab inferiori Judicio et App-
ellatione, vel ex Adcitatione ad prosecutionem Appella-
tionis non admittenda in accessorio peremptorio. In simplici
enim Accessorio uti appellatio locum nullum habet, ita
et ejus prosecutio. Sed de his fusius in Processu. Septi-
mo ex Limitatione, sive illa sit generalis S. R. Mte, sive
privata de partium consensu. Octavo ex Arresto vel in
Crastino, vel quando Causa incidit. Quod quidem Arre-
stum ipso die Condemnationis ante vigesimam tertiam

horam

horam interponendum est. Si enim eo die quispiam id neglexerit, illa jam pernoctata Contumacia arresto levari nequit, potestatem, quando Judicia remissa reassumuntur. Tum temporis enim ab inchoatione illorum, ad triduum usque, integrum est arrestare, ne quis in Causa succumbat, casu aliquo in itinere detentus. Si etiam aliqua Partium ex arresto condemnata esset, quae jam semel arrestaverat, ipsi iteratio eiusmodi denuo non conceditur, nisi forte super illud Arrestum prius Decretum aliquod vel instantia intervenisset, et ex eius Terminis, non autem Arresto, secunda Contumacia oblenta fuisset; Sin vero is, qui antea arrestaverat partem adversam condemnaret, liberum est alteri eodem beneficio frui. Nam quod Juris unus habet, idem alter habere debet.

De
 POSITIONE CITATIONIS.

Circa Positionem Citationis duae Circumstantiae observantur: Tempus, Locus, nec non utriusque probatio. Tempus. In causis Criminalis Laesa Majestatis, Perduellionis, Exemptionis Bonorum Regalium, Sex Septimanarum ante Terminum ponenda est Citatio. In communibus ex Majori Polonia in Minorem in quatuor Septimanis. Constituta vero S. R. Mte in Majori Polonia, tunc Incolis illius Terra, in duabus tantum, et converso ut positio terminum anticipet requiritur. Ratione Limitum in Bona Mensa Regia et Nobilium in duabus Septimanis ante Terminum ponenda est Citatio. Hujusmodi.

modi autem Commissoriales innotescantia non solum Ministerialis, sed una cum duobus Nobilibus exportare debet.

Locus. Super Possessionatum in Bonis illius Citatio ponenda denunciandaq; vel in Curia, vel apud aliquem Subditorum, aut in proxima Curia, aut in defectu eius alicui ex Subditis. In Bonis desertis vero Citatio in lignum resassum posita, terraq; infixata publicetur, vel in Villa viciniori vel Parochia Villa ejusdem deserta. Contra inpossessionatum autem in parochia, ubi aliquando possessionatus erat, aut natus est, aut ubi commoratur, ponenda, vel ipsi in manus tradenda est.

Probatio posita Citationis. Positio Citationis docetur vel personali Ministerialis recognitione vel literali Relatione. Si praesens est Ministerialis, perconctari solet, num. sit illius districtus, in quo functus est officio, vel sit generalis Regni, item sitne tonsus et publicatus? Quod ad literalem probationem attinet, positio Citationis solet in Regno Actis inferi, et authentice extradi. Per Lithvaniam vero Ministerialis manus et extrahus ex actis requiritur. Idem in Vkrainia observatur. Quamvis autem in omnibus actionibus licite in sit, positionem Citationis, quandoquaq; quis velit, dummodo intra fatale fiat, actitare; in causis tamen Criminis Laesa Majestatis et Perduellionis sex Septimanis ante terminum actis inscribenda est Relatio, in quam ut Citatio integre inferatur, et in proximo Conventu particulari positio eius publicetur, Jus publicum disponit.

Si Citatus objiceret falsitatem Ministerialis Relationi exportata Citationis, super quam comparuit, quandoquidem de perditione Terminum tantum agitur, infringi non poterit, nec

opus est actori eam juramento probare, salva tamen cum Ministeriali coram Palatino, ratione falsi, reservata actione. Si vero propter fatalia causa periclitaretur, hoc in casu necesse est, ut Actor serò ingrossatam actionem speciali juramento fulciat; circa deductionem positionis prima Citationis, super quam poena Contumacia est oblecta, & In secundo Terminio peremptorio diversa ultimatum Instantiarum Decreta emanant. Aliquando enim circa deductionem Processus adveniunt, ut Actor de positione prima Citationis doceat, juxta Statutum: Nemo tenetur respondere, nisi viso Ministeriali. Quandoque non prioris illius, sed peremptoria, ex qua videlicet terminus invadebat, positionem deducere demandant, tum quod prioris terminus non fuerit peremptorius, tum quod Citatus id in illo Terminio non affectavit, imo hoc beneficio abusus, et sese condemnare passus sit: priori huic opinioni magis sane assentiendum ad occurrendum intricatis processibus, qui ex Contumacia non infirmata Citationis oriuntur. Quamvis enim prima Citationis Terminus non sit peremptorius, tamen Citato praestuditionis causa preparandum se. se, pro adveniente Terminio peremptorio utilis esse solet.

De

FORO ET JURISDICTIONE JUDICIS.

Forum Iudicii d. R. M. ex diversitate materiae adinvenitur, de quo in secundo Libro majori ex parte tractatur. Alterius Iudicis competentia ^{autem quae} ~~est~~ fit, vel ex Appellatione ab eodem, vel Remissione Tribunalis Regni Iudicanda venit tribus modis 1.) vel ex parte Personarum Iudicio praesidentium, si illa sufficiant, uti numero Collegarum suorum, h. e. Iudicium Terrestre et Commissoriale, de quo inferius, ita matura aetate, item Ortu Nobili, possessione et iuramento ad officium

rium praestito; Plenitudine Juris, praeterea si Officialis non sit per aliquam poenam Capitis diminutus, vel si Citatus ex proprio districtu in extraneum non sit evocatus. Eod ubi fiat decernitur super Actore Evocationis poenam 14. marcarum polonicalium. Commissarii tamen ad dislimitationem possunt esse non solum ex ipso, sed et quavis proximo Palatinatu, licet in illo Palatinatu, in quo fieri debet dislimitatio, possessionati non sint. Succamerarius vero et Camerarius excipiuntur. Hi enim ut sint jurati et in eodem Palatinatu possessionati omnino requiruntur. Commissariorum autem ad limites quinque debent esse; duo Dignitarii, duo Officiales Terrestres, et vel Succamerarius vel Camerarius. Quodsi vero duarum separatarum Terrarum vel Palatinatum dislimitatio accideret, tunc utriusque Terra Succamerarii vel Camerarii ad hunc actum Commissionis desiderantur. Si forsitan etiam Succamerarius Bona sua hereditaria, vel Tenuitarius Bonorum Regionum dislimitare vellet, hoc in passu confersit, S. R. M^{ts} Subditos, aut Spirituales* in iisdem Bonis pro arbitrio Cancellariae Commissarius quilibet esse potest, quamvis nec dignitarius sit, nec Officialis Terrestris, dummodo juxta praescriptum commissionum plenus illorum sit numerus.

2. vel ex parte litigantium, ut Actor Reum ad propriam Jurisdictionem citet.

3. vel ex parte subjecta quaestionis, ne ordinarii Iudices in articulos alienae Jurisdictionis sese ingerant, utpote Terrestris in Spirituale Iudicium, vel Castrense in Terrestris causas, et

Com.

* forte hic omissum: admitti, nam

Commissarii extra facultatem Commissionis. Quicquid enim Judicium extra Jurisdictionem suam facit, id omne, non ut ab officio, sed uti à privato, factum esse censetur, nullitatisq; subiacet. Nullitas cujusvis processus ex incompetencia Judicii maxime obijci potest, si meta officii transgressa sint. Si tamen Actor Citato quoad Forum incompetens contumax extiterit, jam eiusmodi contumaciam incompetencia Fori retractare non poterit, eo quod sese Citationem suam submiserit, et Judicem approbaverit.

De
PERSONA ACTORIS.

In Personam Actoris considerandum: utrum sit bannitus nec ne? Bannitus enim locum standi in Judicio non habet. Deinde sitne minorennis? et num cum Tutoribus agat nec ne? Item num mente captus, cum Curatoribus suis agat nec ne? vel sitne adultus? ac ubi diversi Tutores de potestate Tutoria inter se agant, necessum est in instanti de superior Decisionem facere. Praterca num maritata cum marito, tanquam Tutore suo agat, nec ne? Item, — nec ne? Qui quidem differunt à Tutoribus, eo quod hi adultorum, sed rationis impotentium, illi vero minorennium curam gerunt. Deinde num Nobilis vel plebeius; quae quidem distinctio potissimum in causis personalibus, utpote ratione vulnerum, captionis, et homicidii observari solet. Aliter enim violentia in personas Nobiles, aliter in plebeias illata vindicanda est.

Subditus quoque absque assistentia Domini sui citari non potest, quam
in

in Bonis Regalibus abq; Tenitario. Deniq; num Actor in
 personâ causam criminalem prosequatur. Circa quod notandum,
 quod quamvis multi actores in Citationè expressi sint, sufficit ta-
 men presentia unius tantum. Sufficit etiam à pupillis Tutor u-
 nus, nec opus est Infigatori pluribus delatoribus, præter illum u-
 num, qui in Citationè nominatus est, aliàs Procurator Causam hui-
 usmodi promovere nequit, quin ino et Citatus absoluitur, et contra
 Actorem vel Delatorem, absentem poena talionis extenditur.

Ex subjectâ materia Actionis quoq; super competentia Actoris
 cognitio fieri consuevit, videlicet ne quis piam pro aliâ injuriâ agat;
 exceptis his casibus: Cum videlicet Uxor occasione homicidii Martis sui,
 vel remotior pro capite Consanguinei citat, tacentibus proximioribus,
 item Amicus pro liberatione sui amici ex carcere, vel Dominus pro Servo.

De præscripto Juris et Justitiæ competentia Actoratus potest haberi
 multimodè; sed eiusmodi casus difficile enumerare, ac tanto magis
 describere. Eod si tamen diversi actores pro unâ et eadem re no-
 stram personam seorsim Citationibus equaliter in Jus vocarent,
 Citatus non teneretur tantisper illis respondere, donec vel transigant,
 vel de prioritâte Juris super suâ quæstione judicialiter experiantur.
 Hoc in passu solet suspensa Citatio decerni, et competitoribus in-
 juncti, ut in instanti nullâ præcedente Citationè secum procedant,
 sublata amborum instantiâ adversus Citatum. Si vero alteruter il-
 lorum causam suam longinquo processu prosequeretur, alter verò e-
 andem rem ex cruda Citationè vindicaret, ex tunc hic posterior
 Actor, tanquam interceptor repellitur, primo verò ut actionem
 coeptam continuet demandatur, neutri illorum viam præcludentes,
 ex novâ Citationè de prioritâte Juris secum experiundi.

De
PERSONA CITATI.

In Persona Citati eadem circumstantia omnes perpendenda sunt, quae in personam Actoris, scilicet ratione Sexus, Aetatis, perfecta Rationis et Bannitionis. Criminaliter tamen Citatus pro poena Infamiae non potest a Justificatione sui repelli per actionem Bannitionis, siquidem majus sibi incumbat. Quodsi etiam cum Tutoribus quispiam vel Curatoribus, de nomine et cognomine expressis citaretur, in illa causa luctum in Contumaciam obtineretur, juramentum deportandi illius Processus non differretur ad annos Minoris, vel recuperationem rationis mente capti, sed Tutores seu Curatores tenentur Processum illum Juramentis suis deportare.

De
FORMA CITATIONIS.

Licet Judicium S. R. M^{ts} non soleat immorari, sicut alia Judicia, circa Exceptiones ratione defectus Citationis: tamen notandum est, quod omnis Citationis tria sint Capita: 1.) Titulus sub cujus auctoritate eountur Citationes, ad quod Judicium et sub cujus Sigillo. Nam ad Judicium S. R. M^{ts} sub eiusdem Sigillo emanare debent. 2.) Actoris et Rei nomen et Praenomen. 3.) Totius Cause, de qua agitur, sufficiens per Circumstantias rei, temporis, loci, modi, ac instrumenti enumeratio, nec non scopi, quo Actor intendit, Descriptio. In eiusmodi autem recitatione non debent poni verba contumeliosa, quae honorem et existimationem alterius ledant, praesertim in Civilibus. In Criminalibus etiam quamvis turpe facinus non possit

possit elegantibus verbis exornari, sed proprietate verborum rem ipsam exprimere necessum est; nihilo minus tamen et in his à præjudicatis et conviciosis verbis, licet ad recensendam injuriam pertineant abstinendum est. Sic enim Actor non querelam proponet, si præstituendo se Judicem in propria causa reum condemnaret; id quo minus fiat, sub fessione turrica per unam septimanam sustinenda tam Procuratori, quam actori prohibitum est.

In Criminalibus Citationum Taxa non solet poni. Ipso facto enim Criminalis transformaretur in Civilem, non aliter, ac si captivus criminaliter accusatus ad fidejussorem admitteretur; nam hoc modo poena corporalis mutaretur in pecuniariam. Si quoque Citationes occasione Exemptionis Bonorum obligatorum, item terrestri ratione limitum, castrenses vero ad querelam pro divisione et violenta excussione absque taxa expedienda sunt.

De

PROCESSU FATALIUM ET EVASIONIS.

Coram Judicio S. R. M. prima Citationis Terminus non est peremptorius, exceptis causis ad Exemptionem Bonorum obligatorum, ad inscriptionem; ratione iniquè extorti telonei; contra Intercessorem seu Evictorem, qui bona Regalia pro hereditariis alicui resignasset, et prohibitione à possessore citatus esset. Citationibus pro Crimine lese Majestatis, perduellionis, et aliis contra Remp. perpetratis excessibus, Constitutio Regni primum terminum assignavit peremptorium. Est quoque terminus primus peremptorius in recenti crimine capto; item ex fin-

plici

plici querelâ Tenentariis cum Subditis S. R. M^{ts}: Sic utrinq³ Officialibus, Territoribus Italicis, præsertim si præsentem in aula sunt. Incola Palatinatus Majoris quoq³ Criminaliter ad Comitâ citati primum terminum habent peremptorium. In aliis autem Acti-
onibus, quarum terminus non est peremptorius, Citatus in poenâ simplicis Contumaciae condemnatur, nisi forte in primo termino sponte jure experiri velit.

Calise Criminales Comitiales tamen de speciali praxi quandoq³ sortiuntur terminum peremptorium: Cum enim Citatus præ se ferens innocentiam, nolensq³ diu in objecto crimine hæere, ac clamatus existens circa condemnationes primarum Citationum, quæ fiunt coram Deputatis ex Senatu à S. R. M. in hunc finem delegatis, ac iudicio terrestri, non patitur Contumaciam super se obtinere, sed vel personaliter, vel per alium, super primam Citationem offert se velle jure experiri; talis submissio actiatur. Quâ interveniente iam tenetur ex primâ Citationem, tanquam ex secundâ peremptoriâ, respondere peremptoriè. Terminus Curialis verbalis, sicut et Citatio prima peremptorium terminum non habet: Condemnato enim Citato ex Citationem verbali Curiali in poenâ Contumaciae, necesse est citare secundâ litterali Citationem pro termino peremptorio.

In Causis Volhinia nemo condemnatur, nisi per triduum singulis diebus acclametur. In Polonicis vero simul et semel ter vocantur, et quarto ultra Juris formam. In Civilibus actionibus in Terminis peremptoriis, in vim Loci obtinetur quandoq³ adjudicatio petitorum Actoris, utpote ratione Exemptionis, et in Causis Fisci, sive Theauri cum remissa pro Executione aliquando
iuxta

iuxta Tribunalis processum et terrestrem stylum, taxa quae in
 Citationibus exprimitur, quod sibi contra te aestimat N. N. mar.
 carum. Pro eius satisfactione opus est concitare ad hoc idem
 iudicium in termino concitatorio. Ac si denuo contumax foret,
 tunc Actori, vigore illorum Verborum et totidem damni inde se-
 quuti, damna adjudicantur, cum remissione utriusque Taxae, mini-
 mum et damnorum pro Executione, quae quidem in Jure Polonico
 et Volhynia Loci Capitaneos, in Prussia vero Palatino competit,
 unde in Executione Decretorum S. R. M. post Curiam, non au-
 tem ad Tribunal Regni interponenda est. In Criminalibus au-
 tem, si in Terminis peremptorio, in vim Lucri poena Infamia
 ex remissione ad executionem obtineatur, et Litterae Univer-
 salis ad capiendum infamem extradantur, iam ulterioribus gra-
 dibus executionis, ut in Civilibus, non opus est, jure victum adci-
 tare, sed producto saltem Decreto per partem, quodlibet officium
 tenetur illum capere, et absque ullis exceptionibus poenam capi-
 tis afficere. Si in contumaciam ejusmodi vel ulterior processus
 executionis contra aliquem produceretur, decretum vero infamiae
 vel bannitionis non intervenisset, vel post obtentam bannitionem
 XII. Septimanae sint elapsae, vel etiam expiratis hisce Reus impe-
 tret sublevationem, aut ejus prorogationem; in tali causa tene-
 tur Actor, totum Processum deducere à primâ Citatione, vel ab
 ultimo Decreto ex controversiâ lato.

Lira autem inferiora Subsellia quandoque Citatorum Motioni vel
 Appellationi non deferunt in accessoris simplicibus, praesertim
 ubi agitur de Exemptione Bonorum obligatorum, pro administra-
 tione justitiae, ad inscriptionem, vel in Executione rerum judica-
 tarum.

tarum, item ratione iniquè extorti telonei, aliisque casibus, in quibus. Jura per expressum id prohibent, extunc si quis per eiusmodi denegatam appellationem, vel etiam aliam causam incompetentis, quæ superius recensita, sese gravatum senserit, dupliciter ad superius Tribunal adiciat, vel ratione gravaminis, vel ad proseguendam appellationem seu motionem. Si pro gravamine ex incompetentiâ vel male judicato, et inde pro damnis Judicium vel officium citatur, pars actorea etiam, tanquam adherens, citari debet ad attendendum, ut ipsa suppleat defensionem Judicis, siquidem res ejus agitur. In ejusmodi ad citatione Judicii solet inscribi Taxa, ut eius terror incutiat iudicio necessitatem comparendi, contra partem vero omittitur, ipsa enim metu, ne processum obtentum omittat, cogitur comparere, quamvis in illius Citatione Taxa non exprimatur.

Terminus ex eiusmodi ad citationibus proveniens non est peremptorius, uterq; in poenâ Contumacia simpliciter condemnatur, danturq; illis dilaciones ad munimenta, nec tenetur unus absq; altero respondere, imò decisa manet actio, si cum alterutro ex quâpiam causâ suspendetur, communiter pars evitando suum damnum tantisper defendit officium, donec negotium ad resolutionem damnorum, et solutionem poenâ deveniat.

Quod si autem Judex officialesve ante decisionem litis morerentur, post mortem eius onus illius actionis non in illius Successores, qui personalia onera officii suorum Prædecessorum in nullâ actione ferre tenentur, verum in partem redundat, eamq; post mortem ad citari consueverunt. Ex eiusmodi Citationibus non solum ob incompetentiam fori, sed etiam ob male judicatum vel non admis- sam motionem, ubi gravamen apparet, Processus cassantur. Verum si constiterit, quempiam injustè Judicium vel Officium hâc

ra:

ratione evocasse, cuilibet illorum bis XIV. marcas solvere, totidemq³ parti ad citata tenetur. Vice versâ ad citationes ad prosequendam motionem seu appellationem absq³ taxâ fieri solent, propterea illas Index aut Officialis non attentat, sed sola Pars propter conservati- onem sui processus intervenit. Terminus autem primus est per- emptorius, et nullæ dilationes conceduntur. Appellatio à Motio- ne eo differunt, quod in Appellationibus sola Pars Decretum pro se latum defendat, proptereaq³ fit, quod ad prosequendam Appella- tionem solam partem ad citate soleant sicuti à Commissariis, in Actionibus Magdeburgensibus et Culmenfibus. Si vero per Mo- tionem Index aut Officialis moveatur, tenetur in primis una cum sua Parte Sententiam suam defendere et justificare. Quodsi Decretum ejusmodi, à quo appellatum erat, approba- retur, accipit in Tribunali ab eo, qui tunc temere moverat, poenam, quam KOCZ (Meiburgeld) vocant, Index Terrestris tres Marcas, Succamerarius VI. Marcas, Index Castren- sis seu Vice-Capitaneus tres fertones, proptereaq³ non so- lum tantum Partem ad prosequendam Motionem, sed et Judi- cium ad expurgandam Sententiam ad citate necessum est. Ex ejusmodi ad citationibus superius Subsellium decidit, num adci- tato gravamen illatum sit, vel in Decreto, vel in non admis- sâ Motione. Si in Decreto, utrum in formâ, an in materiâ? In formâ; si per Saltum loco. Procede, decretum fit: Respon- de, vel in Controversiâ Accessorii Sententia lata fit in prin- cipali: de quo superius. In materiâ, si temere legitimâ

affectatione Citatus abjudicatus est, si occasione non admis-
 sa Motionis, quando accessorium peremptorium, nominatum
 sit leve, vel si extra forum, naturamve Inscriptionis seu Exe-
 cutionis causam Iudex extendebat. Item, si Citatus perem-
 ptoriam Exceptionem opponeret, qua perimebat Inscriptio-
 nem: vel etiam male obtentam realiter probasset, ac idge-
 nus evidentibus rationibus usus fuisset, per quas Executio
 merito cessare debebat. Si adveniunt illegalitatem De-
 creti, cassant illud cum ulteriori Processu. Sin Decreto in-
 tacta, decernunt motionem fuisse admissibilem, tunc ulte-
 rior saltem Processus cassatur, et causa in integrum resti-
 tuitur. Eiusmodi autem motionem Citatus non potest, si vel
 in ulteriori Processu decretum acceptasset, vel intra fatalia
 unius anni et diei ad prosecutionem non adcitasset. Tales
 prosecutiones, etfi et Actoribus, si ad eas recurrant, vix probi-
 beri possint, siquidem illis Appellationes semper debent esse
 admissibiles, sitq; illis alioguin liberum pro libitu suo cau-
 sam suam procrastinare. Ne tamen hac licentia ad vexan-
 dum turbandumq; Citatum uterentur, et in termino Juramen-
 ti, contra se in principali negotio obtento, causam prolongare
 queant, quo Citatum diligentia sua circumveniant et damni-
 ficent; Idcirco Inferiora Subsellia, huic malo obviam eundo,
 nullo novo, super priori Juramento, Decreto facto, nullaq; pra-
 missa cognitione super controversia et affectatione Actoris,
 quam

quam loco Juramenti inferret, admittunt Citato contra illum ul-
 teriorem Processum, a quo nec ipsi Actori conceditur Motio; i-
 quandoquidem ejusmodi Processus non adeò pro decreto, atq; inter-
 locutoria, ingressusq; Processus condemnationis reputandus est.
 Motio autem à Processu fieri non debet, sed à Decreto, quam sa-
 ne interlocutoriam Motionis non admittat merito non deberet
 Actor coram superiori Judice per prosecutiones revivificare, quia
 potius ipso facto in causa succumbere. Si tamen in causa
 post Curiam Citato admitteretur Motio seu Appellatio ad Tribu-
 nal Regni; à tali inordinatà Motione licitum est Actori ad Ju-
 dicium S. R. M^{ajestatis}, ad quod hæc ipsa de Jure pertinet, movere,
 ne devolvatur causa ad Judicium incompetens, quo in passu
 per præoccupationem talem, semi-victoriã certò sibi polli-
 ceri poterit. Nam si prius hæc causa post Curiam decidatur,
 jam non poterit Tribunal Regni Decretum S. R. M^{ajestatis} in disqui-
 sitionem adducere; et sic è converso. Quamvis autem Motio-
 nes, ut ante dictum est, à Processu non fiant, tamen, quia Co-
 gnitio inferioris Judicii superest, quo motionem admittere debe-
 bat, quasi vim Decreti obtinet. Idcirco ab inordinatè admittat
 motione ad Forum incompetens merito interponit Actor aliam
 Actionem: nam aliter nullo modo posset Actionem suam à
 Foro incompetenti revocare, et ad Forum competens refle-
 ctere.

De
FATALIBUS.

Si Actor causam in Iudicium deductam, deinde vero ex certis causis neglectam per ad citationem non renovavit, in unius anni et sex Septimanarum Spatio amittit eam; Exceptis; Rejudicata, quae manet salva ad tres annos et totidem menses: occasione Exemptionis Limitum et divisionis; Praeterea ad Inscriptionem ratione Bonorum Regalium, Fisci, Theauri: In quibus uti S. R. Mtes contra Subditum, ita Subditus contra S. R. Mtem processum non causam amittit. Minorennis quoque per non continuationem actionis fatalibus non subiacet; quando etiam Causa Limitationibus generalibus prorogatur, et durantibus iis neutra Partium moritur, fatalibus non est obnoxia; Moriente enim alterutra, Causas suas Fatalibus amissas confoverunt falsis Relationibus Ministerialium revificare; quod sane hoc corrupto seculo valde increbuit; Dicitur enim omnis Relatio post expirationem Fatalium ingrossata, pro suspecta et nullius valoris habetur, eiusque, donec Actor eam Iuramento corporali roboret, in hanc Rotam, quod eo ipso die, quando Ministerialis recognovit, Citatio infinuata fit, et quod Fatalibus Causam non neglexerit. Casu vero, quod Actor Iuramentum renunciat, tunc, si Citatus iuraverit super Fatalia Causa vel Processus, absolvitur; uti supra. Quod si Ministerialis duas sibi repugnantes Relationes fecisset, prima illarum va-

li:

lidius esse solet, nisi sufficienter reprobetur. Ministerialis verò per revocationem prioris Relationis se ipsum reddit reum Criminis falsi, ac per Officium Palatinum tanquam Falsarius punitur.

De
EVASIONE.

Amittit etiam Actor causam, si se Citato in Evasioe Condemnari patiat, exceptis certis casibus, in quibus causam Evasio non perimit, sed tantummodo processum, vel terminum. Minorænitæ nondum adulto contra Evasioem non prodest, habet tamen regressum agendi occasione sui damni contra Tutorem ob eius incuriam.

De
PRÆSCRIPTIOE.

Quandopidem omnis lis in recenti minori cum molestia dijudicetur, quam si obsolescant, propterea est constituta Præscriptio contra segnes et negligentes, qui cum tempestive rem suam vindicare potuissent, nihilo minus tamen sileant, et patiantur vetustate eam intricari. Differentia à Fatalibus huiusmodi est, quod hæc in Processu currant, Præscriptio verò in ipsius Cause inchoatione consistat. De Jure Imperiali mala fidei possessor non præscribit, Jure verò Terrestri et Regni quemadmodum Præscriptio malum Jus habenti non meliorat, ita eo carenti nullum largitur. Non tamen omnibus Casibus, nec quolibet tempore. Licet enim in multis, imò plurimis causis præscriptio currat, incertis tamen est omnino exermis.

Præ.

Præscriptio robur habet partim respectu Actoris et Rei, partim respectu controversiæ seu subjectæ Materiæ.

1., Respectu Personæ. Mascululo quindecim annorum triennium et totidem menses, Virgini duodecim annorum identidem tempus, contra Tutores etiam occasione bonorum, post dispensationem sui totidem anni et menses. Maritata prætendenti se aliquid suis habere ad hæreditatem aliquam, dotis nomine vel alio quolibet iure ad se pertinere, Sexennium. Moniali viginti anni. Captivo in manibus hostis, totum tempus Captivitatis. Mercatori pro debitis in Registro descriptis, Triennium.

2., Respectu subjectæ Materiæ. Occasione Exemptionis bonorum obligatorum, anni triginta; pro mutatis rebus tres anni et totidem menses; ad eximendum propinquitate vendita Dona per Confanguineum, vel Creditorem ipsius, identidem tempus. Pro omnibus bonis respectu cuiuslibet Juris, Inscriptionis, Privilegii vel Decreti, et consequenter pro quavis Injuriâ tres anni et tres menses. Pro Evictione ad Evictorem contra masculum par præscriptio; contra alias vero personas eousq; tenetur Venditor vel Donator defendere Emptorem, vel Donatarium, seu præsitorem ipsius, quousq; præscriptio durat repetentis persone, juxta superiorem personarum distinctionem. Propterea in omnibus Inscriptionibus circa conditionem Evictionis annectitur, tueri per omnes præscriptiones terrestres,

restres, prout ad quamlibet personam prescriptio terrestris pertinet.

PRÆSCRIPÇÃO CRIMINALIS.

Respectu masculi tres anni, Maritata decennium, Vidua sexennium, ut supra; tenetur enim Possessorem Venditor seu Donator defendere, quamdiu impetitoris jus petendi durat. Pro Capitale quilibet Citatus habet triennium: pro erectione Sepis in alieno fundo biennium: pro furto in remotiori Parochia triennium, in eadem annus. Fideiussorio verbalis prescribit anno et die. Pro Kmetone fugitivo currit Annus. Inscriptio Castri temporanei ad Acta Terrestria in anno non transportata evanescit; Terrestris vero tribus annis et totidem Mensibus.

Actio recentis Criminis, utpote pro Expulsione de Possessione, urgenda est in anno et sex Septimanis. Hoc enim tempore elapso amittit Expulsionem, ratione fori coram Castrensi Officio. Integrum est illi tamen citare ad Iudicium Terrestris pro occupatione ratione portionis Junium: Sed hoc fieri debet ante expirationem trium annorum et totidem Mensium. Pariter criminalem Actionem statim ab ipso facto non inchoans, vel inchoatam ab intermisso puncto non terminans, ad elapsum unius anni et sex Septimanarum non solum à criminali prosecutione cadit, sed et poenam talionis meretur. Amisso tamen actu criminali, poterit agi civili pro capite, in spatio trium annorum. Quod si forte homicida vel turrim non ingrediatur, vel in turri sedendo tempus non expleat, iterum causa criminalis reconvalescit. De hac prescriptione criminali anni et sex Septimanarum num
lese

sese tantum ad masculinum Sexum extendat, vel etiam foemina
 serviat, diversa exstant opiniones. Quidam putant, eam respi-
 cere statum Actorum, alii attribuunt eam in genere omnibus
 personis cujuscunq; sexus et conditionis, dummodo habeant
 perfectam aetatem, rationis competes et extra carceres con-
 stituta sint: Vti sane Jura disponunt, quod Maritata decen-
 nalis praescriptio conveniat ratione dotis et bonorum; Vi-
 dua vero adscribunt sexennium respectu reformationis et her-
 editatis. Hanc ob causam addita sunt superius Formalia
 Legis, quod aliis casibus vix explicari potest. Sed quia juxta
 priorem opinionem evenire potest, ut Coniux, in potestate
 Mariti existens, contra illius Consanguineum seu familia-
 rem non auderet citra ejus voluntatem criminaliter agere;
 id quod ab omni aequitate alienum est, ut hanc ob causam eam
 actionem praescriptione amittere deberet: Idcirco in hoc casu
 intuenda est aequitas et rationis fundamentum, quibus haec
 praescriptio Criminalium observatur contra cujuscunq; condi-
 tionis personas, nisi quae non essent sui Juris, vel non liceret
 illis aliena culpa, intra tempus legale eiusmodi Actiones
 vindicare. Excepta sunt praeterea ab hac generali Praescri-
 ptione, ut in hoc passu, Uxores, Minores, Captivi et men-
 te capti. Praescriptio non semper locum habet in praemissis.
 Occurrunt enim casus, qui eam interrumpunt, suntq; partim
 publici, partim privatarum personarum. Publici. Interre-
 gnium:

gnum: Annus post Coronationem S. R. M^{tis}; Generalis Expe-
ditio, ad quam omnes Iudices et Officiales obstructi sunt una
prodire, et à jurisdictione sua supercedere, sed vacantia alte-
rutrius cujuscunq; Jurisdictionis, vel intermissio Judiciorum
ad tempus certum ex alio quocunq; eventu, Prescriptionem non
vitiat; ut hæc in parte non pauci errant, qui sub Vacantia
Officii, et longa Terminorum non celebratione, cum Citationi-
bus suis feriantur, arbitrantes, quasi Suspensa Jurisdic-
tionis Prescriptionem tolleret, ac quod Judicia super Citatione,
non verò Citationes super Judicio expectare deberent. Magno-
pere autem falluntur, sic enim in Actionibus tuunt. Priva-
ti Actoris ignorantia, sed non crassa facti, non juris ut de
Romicida ante non agnito vel Rmetone profugo; Verumtamen
neceffe est, id juramento comprobare, quod reverà nesciverit de
Injuria: Siquidem Prescriptio non rerum ignavis, sed somno-
lentibus nocere debet. Prescriptio non valet in sequentibus
Casibus: Occasione Bonorum S. R. M. et Theauri; Inter
S. R. M. et Subditos; ratione Sessiois turrica pro occiso
capite, pro quâ quemadmodum inculpatus cum parte transi-
gere nequit, tanquam pro poenâ publicâ; ita per prescripti-
onem liber esse non debet: Hæc ratione enim homicida ex
condicto evaderent sessioem turricam, præcussodito eo, ne in-
tra Prescriptionem citarentur. In Exemptione Bonorum ad
reemptionem, vel in dote, reformationibus inscriptorum, sic
etiam in perlocis tentorum non currit prescriptio.

Dupli.

Duplices sunt Inscriptiones; Reemtionales quaedam sunt, quibus certus Censur super Bonis inscribitur; quaedam, quibus ipsa bona possessorum, cum Pacto retrovendendi alienantur. Harum ambatum exemptio licet non cadat sub prescriptionem, sed nihilo minus onus solvendi in posterum saluum manet, super Bonis in Summa reemtionali obligatis, quousque ea absolutus Haeres non eliberavit, et quietationem de Summa essentiali obtinuerit.

De

DILATIONIBUS

Dilationes sunt duplices. Quedam legalium Impedimentorum; quaedam in Subsidium Cause. Dilationes legalium Impedimentorum sunt duplices: Privata et publica. Privata legalia Impedimenta sunt quatuor: Simplicis et vera Infirmitatis, pro Majore, Minorennitatis. Publica legalia Impedimenta sunt duo: Servitium Reip; Legatio seu Militia. Accedunt Casus universales, utpote: Bellum, Pestis, Interregnum, quibus intervenientibus Iudicia ubiq; cessant.

PRIVATA LEGALIA IMPEDIMENTA.

Simplicis Infirmitatis Dilatio aliquando fuit in usu, qua mediante Citati in primo Terminio poenam Contumaciae evadebant; Verum postquam poena pecuniaria quatuor grosorum abrogata esset, factum est, quod hoc tempore ea amplius non differant Terminum, exceptis duabus Actionibus:

I. Ratione administrationis iustitiae, nec licita, sed sub poena

tri:

trium marcarum in secundo termino, iustitia administratio decernatur.

2. Ratione administrationis, quae in causa forum indifferens, aut enim in Comitibus, aut in Iudicio Terrestri conveniuntur diffamatores, qui si terminum primum simplici infirmitate reposerint, poterunt in secundo termino simplici negativa absque juramento absolutionem sui obtinere, juxta Statutum. Et si statim non revocant, aut neget, quod dixit etc. ubi per hoc adverbium Statim primum Terminum interpretantur Practici.

Vera Infirmitatis Dilatio per possessionatum Nobilem peti debet, qui oblitus in secundo termino ille, cujus non petita est, met tertius eam juramento verificabit, ejus est in omnibus Actionibus, exceptis duabus: Una ad Inscriptionem, altera in Executione Rei judicate: Conceditur tamen et in hisce duabus, In personali actu et prestandi Juramenti. Pro majori dilationis in Iudiciis S. R. M. S., quae ad certam diem alligata non sunt, nullus est usus, in aliis vero Iudiciorum Subsellis tum primum admittitur, cum eadem ipsa die coram alio Iudicio cumpiam Actio majoris importantia intercedit, quae de re, nisi literale documentum producat, amittit causam suam; Utraque, hasce Dilationes relevandorum humanorum casuum gratia leges concessere, sed hoc tempore, litigantes in protractionem suarum illis abutuntur. Minorennitas. Ad inventa Minorennitate Minorenni coram Iudicio constituto reponitur terminus, masculo ad quindecimum, foemina ad duodecimum aetatis annum, tam ad responsionem, quam ad personalem actum prestan-

di juramenti; ad faciendam tamen recognitionem Sexui foemineo, dif-
fertur terminus ad dispositionem sui. Minorennitas in hisce Ca-
sibus non prodest, si Minorennis citetur ad paratam causam suo An-
tecessori motam; ad Inscriptionem; ad tollendam Summam de obli-
gatis Poenis; item, si Fidejussor Minorennem conveniat pro elibe-
ratione sua Fidejussionis pro Antecessore ejus facta: praesertim
si ille Fidejussor, vivente adhuc Antecessore Minorennis, eo no-
mine in Iudicium vocatus fuisset. In causis Fisci merito idem
observandum esset, licet defuper nullum Jus exstat. Haec enim nul-
lam patiuntur moram. In Causis Complicitatis quoyq; baniti-
onum simplicium Minorennitas non differt terminum.

PUBLICA LEGALIA IMPEDIMENTA.

Legationem allegans tenetur in Instanti Literas S. R. Mbris
defuper producere. Sed in Causa ad Inscriptionem haec Exceptio
non procedit. Militia idem est Iudicium, sed non relevat Iure
victos ad Inscriptionem, nisi ea decennialis sit. Pro violentia:
Pro oppressione mulierum: Pro homicidio: Pro violenta do-
mus Invasione: Pro Expulsione. Haec Exceptiones pretori-
torum annalibus Constitutionibus non sunt concessa. Huius Di-
lationis usus tum primum effectu suo potitur, cum per Consti-
tutiones publicas in militia Reip: existentes à Iudicio eximun-
tur. Hisce legalibus Impedimentis utendum est statim ab initio
ante litis contestationem. Nam si quis in Controversiam aliquam
super negotio principali cum parte descenderit, amittit Bene-
ficium Exceptionis neglecta, eamq; amplius allegare non po-
terit,

terit, excepto actu personali, h. e. termino prestandi Juramenti. Sciendum præterea, quod hæc Impedimenta vera infirmitatis et pro majori semel tantum in unâ locum habeant; Minoritas vero et publica Impedimenta Legationis et Militiæ quod non expediuntur.

DILATIONES IN SUBSIDIVM CAUSAE

Sunt Triplices:

1. Ad simplicia Munimenta Causa necessaria; sed in sequentibus non dantur: In Causis ad Exceptionem pro Expulsionem, in Executione Rei Judicatae ad Inscriptionem, nisi ad specificata petatur. Quomodi Dilationi satisficit quovis simplici producto causam, de qua agitur, concernente.

2. Ad specificata et Causam perimentia; suntq; in omnibus Actionibus concessibiles.

3. Ad Evictorem. Hæc tantum in Questionibus hereditariis locum habet, idq; si ex Munimentis Evictorem sibi competere docuerit. Differunt Evictor et Intercessor. Intercessor dicitur, qui in totum pro termino se sistendo intercedit, et omne onus in se recipit. Quomodi Intercessio non solum in civilibus, sed et in Criminalibus, etiam in quovis puncto valet; talisq; Intercessor pro principali mortem subire cogitur, quandoq; ambobus per revelationem amborum Excessus. Sed hæc raro contingit, ut quis alterius vitam morte sua intercedat. Evictorem autem in Jure nostro hunc nominamus, qui Bona sua vel aliena cui resignat, et se pro tuitione inscribit et obligat, quem postea

29.
possessor bonorum adquiretorum impetitus existens pro tuitione
citatur.

De

LITIS CONTESTATIONE ET DECRETIS
IN PRINCIPALI.

Postquam Citatus ex precedentibus novem necessariorum
fontibus ulterioribus Exceptionibus, quibus justificationem sub-
terfugere opinabatur, destituitur, ac ipsi directe respondere de-
mandatur, ex tunc ad principale accedere et litem contestari
cogitur; aut in Conjecturali super positionem Actoris negative
respondere, qualitatis statu agnoscendo factum probare, se id ju-
re fecisse. Super ejusmodi Controversiis Decreta quoque in prin-
cipali ferenda sunt.

IN CONJECTURALI.

Contra Negativam Citati depromuntur Probationes, vel per
literatoria Documenta, Juramentum Partis, Testiumve Confessi-
onem:

1. Si probationes literariae sufficientes, quales ex Actis,
quae nullis testimoniis convinci possunt, Juramentum in con-
trarium non admittitur. Ejusmodi probationes frequentes in
Civilibus fiunt: In Criminalibus vero tantum ratione compro-
banda literalis diffidationis et hostilitatis.

2. In Civilibus, ubi deficit literalis probatio, nec eius copia
haberi potest, ad Juramentum confugitur, ad quod Conventus
propior esse solet, exceptis: Homicidio, Vulnibus, Invasione
domestica, oppressione foeminarum. In Criminalibus vero is est
propior, qui sufficientibus fontibus pro parte sua expedivit.
Lrod.

Quodsi autem utriusque dubia Scrutinia producerentur, et convento
 bona fama et ante acta vita suffragentur, nec sit ter notatus
 in Regestris maleficorum vel Profectionibus criminalibus, tunc
 in dubiis adjudicatur Citatio Crasio; licet Statutum de mala
 fama Viris, id est, ter in Regestris maleficorum descriptis, absque
 Juris strepitu captivandis, expiraverit, tamen hoc saltem ratione
 captivationis illorum, non autem prerogative hominis bona
 fama ad evadendum proptionis intelligendum est juxta aliud Sta-
 tutum de calumnia: quarta vice criminaliter inculpato amplius
 expurgatio admitti non debet. Si Citatus simplici negativam
 querelam Actoris elidere vellet, nec sese ad juratoriam eva-
 sionem traheret, tenetur Actor Propositionem suam Juramen-
 to comprobare, alia Actor non probante Reus absolvitur.
 Si Citatus Actori Juramentum defert, tenetur Actor illud
 acceptare. Actor enim, quod absent, probet. Actor autem su-
 per negativam Citati Juramentum ei obtrudere non potest.
 Eiusmodi Dilatio enim non recipitur, sed saltem ipsi Ci-
 tato adversus Actorem servit. In causis autem Instigatoris
 absque delatore in defectu probationis literatoris privata
 persona Citata, negando querelam non potest Insti-
 gatori deferre Juramentum: quoniam Instigator existens per-
 sona publica pro aliena injuria convincere non tenetur, sed
 inculpatus necessario se expurgare tenetur. Similiter Ser-
 vus aut Factor Domino Juramentum obtrudere nequit. Ro-
 ta Juramentorum non aliter formari debent, quam juxta
 concepta

Contenta Citationis, excepto, si partes extra materiam Acti-
onis novam Controversiam moverent, eo in passu super il-
lorum controversiâ extra Citationis Contenta rota Susame-
ti prescribi solet.

3. Confessio dupliciter fit: aut per ipsum Conventum,
aut per tertiam Personam. Per Citatum fit, aut Verbis aut
re ipsâ. Verbis; judicialiter, et hæc est absolutissima, nec eget
ulteriori probatione: extrajudicialiter coram tertia perso-
nâ, sed hæc non caret perplexitatibus. Re ipsâ; si forte Ci-
tatus in manuali facto deprehensus fuerit, vel alia pro-
sumptiones et circumstantia, utpote gladius orientus, fu-
ga, et his similia, juxta diversitatem casuum, obtigerint.

Tertia persona; alia perfecta, alia imperfecta. Perfe-
cta in unica actione, Raptus per raptam inam cum ejus.
modi excessus non perficitur citra offensam raptæ vel Ra-
ptoris, in confessione Raptæ omnis veritas consistit. Si enim
fatetur, se consentiente id factum esse, dotem cum omnibus bo-
nis perdit, si recognoscit, se violentes ab eo, cui aliquandiu
cohabitavit, raptam esse, Raptor honore vel vitâ privatur. Eius-
modi autem Confessio non fit statim post statutionem Raptæ
à Citato: Nam majoris certitudinis causâ traditur prius à S.
R. Mte in Sequestrum ad certum locum inter Matronas specta-
ta fidei, ut ea ab ipsâ à longo inquirant de statu rei, causâ et mo-
do raptus; Ipsa deniq; in sequestro animosior reddita, extra pote-
statem Raptoris existens, eo liberius coram S. R. Mte et Senatu ve-
rita:

ritatem edicat, unde rei qualitas rectius consequi queat. Imperfecta; in vulgaribus causis Criminalium per Strictinium ex consideratione circumstantiarum et verisimilitum possibilitatum ab utraq; parte expeditum veritas indagatur, exindeq; vel Actori Convictio vel Citato Evasio adjudicatur. Hoc etiam pro imperfecta Confessione de praxi communi censetur, cum quis aliqua in causa Prescriptionem opponit, vel Intercessorem statuit: Eo modo ex parte enim agnoscit factum, cum Prescriptionem objicit, vel ejus authorem nominat; ac propterea fit Actor aliquando propior ad convincendum Citatum.

IN QUARTA TIT. 5.

Quando Citatus agnoscit factum, Jure se autem illud fecisse absente, non potest una firma regula dari de cognoscenda legitimitate facti, vel eius effectus. Casus enim penè sunt infiniti, nec possunt ad unam normam ex natura et circumstantiis illorum redigi. Inferius tamen in secunda parte de materia Decretorum non intermittitur, quod de unaqueq; causa Judio S. R. M. his subjecta de Jure statuendum est. Ad presens sufficit, hanc generalem Regulam prescripsisse. Decidendum ex qualitate Excessuum juxta Prescriptum Statutorum Regni; in defectu autem eorum iuxta consuetudinem justitiae consuetudinam judicandum, idq; ex Decretis anteriorum Regum Poloniae desumendum. His deficientibus, extunc ad Externorum Christianorum Principum Jura, vel ad rationem confugiendum; Ratio vero reducenda secundum justitiae normam ad sequentia tria generalia Juris praecepta: Ut honestè vivatur, Nemo laedatur, unicuiq; quod suum est restitatur.

FINIS PRIMAE PARTIS.

PARS

PARS 11.

De

MATERIA DECRETORVM.

Demonstrata forma Decretorum, tractat Author de materia
Causarum Iudicio S. R. M^{ts} subjectarum.

Cause Iudicio S. R. M^{ts} subjecte sunt Duplices: Post Curia-
les et Comitiales.

De

POST-CURIALES.

Harum sunt quedam Instigatoriales, quedam privatarum
Personarum. Cause Instigatoriales Postcuriales sunt vel pro
Rebus S. R. M^{ts} propriis, vel ex delatione Partium.

Res S. R. M^{ts} propria; pro Exemptione Bonorum Mensa
Regia; occasione proventuum Mensa Regia cum Tenentariis,
Telonei Exactoribus, Suppariis, Contributionum Exactoribus,
Dispensatoribus, Thesaurariis eorumq; Successoribus, pro decer-
cupandis Tenentis cum iisdem; ratione peditum selectorum, a-
lias Wybrancze, cum Tenentariis successoribusq; eorum; pro rui-
na Castellorum, Adificiorum et Sylvarum; cum iisdem: pro non
restitutis rebus iuxta Inventarium; cum iisdem: pro omnibus
et singulis injuriis ob absentiam illorum in limitibus latis, et
non defensis Fundis regalibus cum iisdem: Si Thesaurarius
post mortem Tenentarii Tenentia possessionem non apprehendit,
vel Inventarium non conficiat: Cum Spiritualibus pro Statibus
et

et eorum Subditorum laboribus: Cum Aulicis suis occasione cuiusvis Excessus: cum Milite, qui accepto Stipendio non servit: In genere pro omnibus Rebus, personam et Thesaurum S. R. M^{ts} mere spectantibus.

Ex delatione privatarum Personarum. occasione Caducorum Civitium, contra plebejum merces prohibitas coementem, pro poena peculatus, item pro quavis re S. R. M^{ts}, quam quis repetit ex donatione ejusdem.

Causa postcuriales privatarum Personarum alia sunt Civiles, alia Criminales. Civiles iterum sunt aut Spirituales, aut Seculares.

Spirituales: pro Decimis ex Bonis S. R. M^{ts} occasione Ecclesiarum, Fundorum, ac Proventuum ad Ecclesias spectantium.

Seculares: pro Exemptione Donorum S. R. M^{ts} ex Appellationibus, vel Commissionibus Remissionibus; pro differentiis Limitum inter Tenentarios; inter officiales Aulicos ratione Jurisdictionis et prerogative Officiorum illorum; inter Zupparios Cracovienfes et Dybovienses, occasione transgressionis in transmittendo Sale Locorum unicuique ad vendendum Sal assignatorum; Zupparius Bydgoskiensis ad Instantiam Zupparii Ruforia occasione non defluitationis annuatim undecim millium Tonnarum Salis Zuppario Bydgoskiensi; inter diversarum, vel ejusdem Terra Contributionum Exactores, videlicet Canalis vel Ducillaris Contributionis: Instigator vel Delator post Curiam aliquem citans:

Capi.

Capitanei cum Advocatis, Civibus et Villanis pro non praestatio-
 ne onerum debitorum, et e contra illi pro Injuriis: Ex compro-
 misso per S. R. M^{tes} facto ad Inscriptionem pro iniquè extorto
 Felones: Evictor, qui Bona Regalia pro Hereditariis alicui re-
 signavit: Capitanei vel Teloneatores, qui eversionem Mercium pro-
 hibitarum e Regno permittunt: Domini cum Servis; Magdebur-
 geneses et Culmenfes Actiones.

Causae Criminales postCuriales: Qui in Curia S. R. M^{tes} ali-
 quem occidit, vulneraverit, vim intulerit, vel tumultum aliquem
 excitavit et in recenti captus fuerit; Nobilis captus in violen-
 tia civili; occasione proditoris et falsi; in manuali facto ca-
 ptus. Finaliter, Motiones et Appellationes executione Decreto-
 rum S. R. M^{tes} in praemissis omnibus actionibus, exceptis flagran-
 tibus, quae in instanti finem fortiantur.

De

CONTRA LEVVS.

Harum sunt quaedam Instigatoriales, quaedam privatarum
 personarum.

Causae Comitiales Instigatoriales aliae sunt merè S. R. M^{tes},
 aliae ex delatione partium.

Merè S. R. M^{tes} Instigatoriales quaedam sunt Civiles, quae-
 dam Criminales.

Merè S. R. M^{tes} Civiles: occasione Bonorum Mensa S. R. M^{tes}
 ex Citatione vel Remissione aut Tribunalitia, aut Curiali, aut
 Commisionali; de Bonis nullo jure receptis; de validitate Sum-

marum

marum super Bonis Regalibus; occasione Quarta et deoccupatio-
nis Tenuta amissa; propter non solutionem Quarta; occasione
ruina Supparum, per amotionem Columnarum in fodinis; oc-
casione exactionis telonei praeteriti, super qua nulla Litera ex-
stant; pro Confiscatione Bonorum; occasione Caducorum in
bonis Nobilium; occasione Bonorum S. R. Mti donatorum; Dñs
Thesaurarius et Deputati ad percipiendam Quartam non venientes.

Merè S. R. Mti Criminales: Crimen Laesa Mti; Conspira-
tio contra Remp. cum hoste ipsius; Communicatio Secretorum
hosti; proditio Arcis ex condicto; Violatio Pactorum et Foederum
cum exteris Dominis; Crimen perduellionis; Rebellionis de facto
declaratio; Capitanei finitimi tempore Interregni Castra et Civi-
tates aliis deoccupantes, excepto Regi de omnium Consensu libe-
re electo; ac alius quivis excessus merè contra Remp. commis-
sus; Crimen peculatus; Thesaurarius et Deputatus tempore In-
terregni citra notitiam Dñorum Senatorum quartam dispensan-
tes; Thesaurarii Regni et Lithuania de proventibus Livonia
similiter disponentes; Impediens Thesaurarios et Deputatos in
dispensatione Quarta juxta praescriptionem; Capitaneus Ra-
vensis Dominum Thesaurarium et Deputatos ab Arce et pe-
cuniis sub Interregno prohibens, et admonitioni D. D. Senatorum
non obediens; Fur S. R. Mti et Thesauri; Impossessionatus im-
pediens Sal transmarinum in defectu Bidgostien: et Diborien:
Moneta color privatus; Nobilis, merces prohibita coemens.

Causa

Causa Comitiales Infigatoriales ex delatione Partium alia sunt Civiles, alia Criminales.

Civiles: occasione aquatici Felonei contra illos Nobiles, qui illud exigunt; possessionatus impediens Sal transmarinum in defectu Ruthenici in Cameris Bidgostien. et Diborien.; Burg: grabii Cracovienses in Arce non degentes ex delatione Capitanei Cracoviensis; Palatini Judais Felonea vel Zypas tenere permit. tentes; contra negligentes Dignitarios et Officiales Regni; Appellationes a Commisariis in causa Limitum inter Bona Regalia et Nobilitum.

Criminales: Violatio Juris Conductus; Violatio Conventuum et Comitiorum; dispersio Judiciorum; Violatio ministerii: aliud officium exequentis; occasione guerrarum; Cortifani, Jus Patronatus impetrantes, illegitimè Abbatis occupantes; In Silesiam cum mercibus vel frumentis euntes, et Literas passus desuper impetrantes.

Privatorum Causa Comitiales alia sunt Civiles, alia Criminales. Civiles iterum quaedam sunt Spirituales, quaedam Seculares.

Causa Spirituales Civiles Comitiales: ex Remissione Tribunalis; ratione Decimarum in Bonis Nobilitum et prophanationis Ecclesiarum ibidem.

Causa Seculares Comitiales Civiles sunt vel ex Officiis, vel Terrestres.

Ex


Ex officiis: de facultate Jurisdictionis Dignitariorum et Officialium Terrestrum; inter Jurisdictiones diversorum districtuum; ratione Incompatibilium; negligentes Dignitarii et Officialis; Inpossessionati in Terra sua Dignitarius et Officialis; Officiales Regni ex officiis pro Rebus S. R. M^{tes}, vel gravamine, si quod alicui inferrent, ut Cancellarii, Thesaurarii, Duces Exercituum.

Terrestres: Remissiones Tribunalitia; ex novo emergenti et paritate Votorum.

Causa Comitiales Criminales privatorum: Homicidia, Vulnera, Venena, Sanguicidia inter Extraneos, inofficiose vel extrajudicialiter similem sibi supplicio capitis afficiens, Oppressiones Foeminarum, Adulteria, Raptus, Vidatio Tribunalium, Injurioli contra parentes, Foventes infames et Bannitos in Comitibus, pro non subitione vel non expletione Sessionis turnica, Exoticus Dignitatem vel Officium Regni aut Arcem impetratam ad Requiritorem non dimittens; Super Terram Sandomiriensium Donationem vel Obligationem aliquam subscribens; impetrantes Capitaneatus in Livonia Polonus post Polonum, vel Lithuanus post Lithuanum, et non Polonus post Lithuanum, vel Lithuanus post Polonum; Servi à Domino decem Septimanis ante expeditionem aufugientes; Servi furem, latronem, vel hostem Domini absq; Domino non insequentes; Exprobrantes Servis hoc Servitium; perjuri; pro poena talionis; Calumniatores et falsarii, et super non positas Citationes captiose contumacias obti.

obtinentes; in aliena persona falsas Inscriptiones recognoscen-
 tes; Authores famosorum Libellorum; Diffamatores; obstructus
 Sponsione fidei verbum honesti Nobilis non servans; ad Inscr:
 ptionem dispositione cessam; abjudicati Nobilitatis tituli, Insi-
 gniorum; contra illos, qui sibi ea illegitime usurpant; Violentia
 Cracovien, Pofnaniens, Leopoliens, Varjavien, Premisliens, Crofniens.

C.D.
d. 11. Nov.
Fin.



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.